

ceps nummum percussit, *Medianinum* vulgo nomi- 1333  
natum.

Creverant non mediocriter per id tempus Scalano-  
rum opes: ut intra alpes quam longe lateque Cisalpina  
Gallia patet, nemo esset qui non eorum potentiam re-  
formidaret. Nam præter Veronam, Vincentiam, Bri-  
xiā, quas aliquanto prius possederant, Parmam, Ru-  
briis fraude ejectis, noviter occuparant, Feltrum, Bel-  
lunnum, Cenetaque jam antea Joanni Boemiae Regi  
ademerant; Taurisium quoque Scalanæ tunc erat ditio-  
nis, ut quidam auctores sunt, & imprimis rerum  
Venetarum scriptores. Forliviensis Blundus Venetorum  
fuisse Taurisium scribit, quum adversus Mastinum Sca-  
lam primo cœptum est bellari: sed illi idcirco non  
accedo, quia nullum ad eam diem oppidum Venetos  
in continentē habuisse reperio. Constatet, si ita esset,  
aliquo modo, quo tempore, quove jure Veneti tam  
illustrem urbem suam fecissent; quin probabilius il-  
lud, quod cæteri habent, eo bello quod est cum  
Mastino gestum (de quo nobis dicendum est) Tauri-  
sum Veneti imperii esse factum. Patavium quoque (ne  
quid ad tantos deesset successus) haud multo ante quam  
sumpta sint arma, illi subegerant. Urbem ipsam ob ci-  
vium discordiam Marsilius Carrarius (sed pro Marsilio  
Ubertinum apud quosdam reperio) quoniam in pristi-  
na libertate retinere non posset, in servitutem recide-  
re passus erat. Verum, quia tam facile cesserat, per-  
missum a Scalanis ut suo nomine publicæ administratio-  
ni Carrarii præcessent. Tanto igitur rerum successu elat-  
tus Mastinus (ut est humana cupiditas, quæ longe  
minus in secundis rebus quam in adversis novit ser-  
vare modum) Venetas opes sollicitaturus munitionem  
in stagnis, haud longe a Petabubula, tumultuario ope-  
re erigit, erectamque valido firmat præsidio. Veneti,  
qui non ignorabant quorū tenderent illius consilia,  
& ipsi haud procul inde locum communiant. Inte-  
rim cœptum est inter Patres consultari, qua vi, quave

1336  
*Scalanorum  
potentia.*

arte